



Sammellband







Epicedion IN OBITVM IL-

LVSTRISSIMAE PRINCIPIS AC
DOMINAE, D: DOROTHEAE, LAVDATIS-
simi illius Saxoniae Ducis, & S. Rom. Imperij Electoris
AVGVSTI, &c. beatæ recordationis, filia: Reveren-
dissimi & Illustrissimi Principis ac Domini D: HENRICI
IVLII, Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunsvvicensis
& Lunæburg. &c. dulcissimæ quondam conjugis: quæ cum
3. Februarij anni 1587. filiolarum DOROTHEAM HEDVI-
GIN, primùm genitrix, in lucem edidisset, postmodum le-
thali correpta morbo, 13. eiusdem, ex hac miseriarum
valle, cum maximo omnium piorum desi-
derio, in cœlestem patriam feli-
citer emigravit.

Autore
M. IOHANNES STRVBIO
verbi divini ministro.



Anno salutis, CIO IO XXXVII.

xxviii



T quis erit tandem lacrumarum finis? & unde
Tot iam perpeffos casus, tamq̄ aspera fata,
Quamvè iubes rerum genitor sperare salutem?
Annus exactis completur mensibus orbis,

Hoc quando extinctus seclum mortale reliquit
Ensifer Augustus, quo non præstantior alter
Relligionis erat studio & virtutis amore.
Atq̄ is vix paucis præmiserat ante diebus
Dilectam thalami sociam: sic quos amor vnus
Iunxerat, hos pariter soluere, & temporis uno
Momento duplicem pepererunt fata dolorem.
Vah quantus luctus, quam tristis ubiq̄ querela
Extitit hîc, omnes vrbes, & sancta per urbes
Omnia templa, omnesq̄ dômos, & pectora vulgi
In gemitum in lacrimas iusto mœrore resolvens.
Qualiter humanis Iosia principe rebus
Exemto, indulfit lacrumis plebs omnis, & ipse
Ieremias vates lugubria carmina promptit.

Sed quoniam lethi vis immutabilis hæret,
Et nullum admittunt parcarum fata regressum,
Hic quoq̄ provento mitescere tempore luctus
Ceperat, omnia enim mitescunt tempore: & ecce
Fata aliud maius magis & lacrumabile multò,
Objiciunt miseris & pristina vulnera turbant.

Nam Nympha Augusti generoso sanguine creta,
Quamq̄ suum genitor menses non amplius ante
Quinq̄ obitum, HENRICO magni cognomine IVLI,
Iunxerat optato thalamo, propriamq̄ dicarat:
Hæc inquam DOROTHEA DEI cum munere nuper
Egregium lucis partum solvisset in oras,
Et dulcem genetrix tota cum stirpe maritum,
Immò nos omnes præclara dote beasset:
Improvisa perit pariens, & gaudia acerbo
Hæc subitò nimis & subitò conversa dolore,
Permutat Lachesis rebus non æqua secundis
Vt cum IACOBO patrios repetente penates,

Cara

Cara RAHEL coniunx Lucinæ fracta labore
Occidit, & viduum linquit cum infante maritum.
 quis tantam cladem quis fata in mitia fando
Temperet à lacrumis! & quæ tristissimus iste
Non quæso tangat mortalia pectora casus!
Damna dat indomitus terris Mars plurima, damna
Plurima Vulcanus flagrante per oppida flamma,
At maius damnum est, pretio reparabile nullo,
Cum pater omnipotens quos ad fastigia rerum
Provexit, vitæ privantur munere: & illi
Inprimis diuûm quibus est reverentia cordi,
Pronæque quos erga miseros clementia flectit.
 Tale decus fueras, dum fata DEVSQ; sinebant,
O DOROTHEA domus superûm facta incluta civis.
 Verus enim summi tua candida pectora patris
Imbuerat timor, & proprij sibi fixerat illic
Maxima virtutum pietas tentoria templi.
Hinc avidis iacti captabas semina verbi
Auribus, & fidi penetralia ad intima cordis
Hausta recondebas, ut cum sic posceret usus,
Inde memor peteres præcepta salubria vitæ.
 Proxima erat carum venerari cura maritum,
Et nutu illius placidos componere mores.
Hunc tota ardebas, & ab ipso tota vicissim
Ardenti coniunx amplexabaris amore.
Quoque amor alternis consensibus acrior ussit
Pectora, dum thalamo vivi utebamini eodem,
Hoc nunc HENRICVM dempta te coniuge IVLVM
Acrior infestat dolor, & succedit ad ossa
Intima, nec placidam fert applicuisse medelam.
Qualiter aridula mœrens super arbore turtur,
Erepta viduum deplorat compare lectum,
Nec iam luce cibi memor est, nec nocte soporis.
 Nec minus in dulces fueras studiosa parentes:
Non illos tantum vitales munere quorum
Captaras auras, sed & officiosa mariti

Obsequio

Obsequio vero matremq; patremq; colebas.
Atque illi rursus sua gaudia magna, suumq; cor,
Deliciasq; suas, seræ & solatia vitæ,
Tete aspectantes tacito sub corde fovebant,
Et patrio natam complectebantur amore.
Nuncq; tuo aspectu privati, specq; cadentes,
Triste gemunt, magnumq; premunt sub pectore luctum.

At tu AVGVSTEPATER, tuq; ô carissima coniunx
AVGVSTI, vestra felices sorte profectò
Estis censendi, quos tam citò prona levarunt
Ad superos, nec in hunc servarunt fata dolorem.
Nam quibus indulgent animis pia numina divùm,
Hos auferre solent medio, in tutoq; locare,
Tristis ubi forsitan casus mortalibus instat.

In miseros verò quam prona & amica fuisti?
Non dubitans totum decus, & prælustria dona,
Vitam fortunascq; tuas, & commoda sortis,
Sufficere affectæ genti, succumq; salubrem
Derivare in agros: ceu celso roscidus humor
Monte cadens succum steriles immittit in herbas,
Pinguia sumentes unde incrementa, deinde
Proveniunt clari magna vi in lumina solis.

Quis memoret dotes AVGVSTI pectoris omnes
ODOROTHEA tui? non si mihi Phœbus Apollo
Carmina dictaret, possem istum ferre laborem.
Atq; istos prima produxti seminis herba
Fructus: quod vitæ si tempora longa dedissent
Numina, quanta olim maturæ gloria messis!
Quanta secuturis restabat gratia seclis!
Nam sacras avido præterquam pectore voces
Quod pia captabas, vitamq; hac luce regebas,
Insuper HEDVIGIS dilecto ex compare mater,
Expressum referens speculum virtutis a vitæ,
Cotidiè ante oculos observabatur, & illam
Aspectans similes studiosè effingere mores,
Atq; intervallo fatagebas ire propinquo.

Fecisses

Me magis excruciat, sævumq; in pectore luctum
Multiplicat dicas, quod tanta faventibus uxor
Contigerat fatis, quam nunc fera Parca vicissim
Eripit, & prima vitam deturbat in herba.
Largior hoc, nec erunt hæc credo pectora tristis
Quæ fors non tangat: Sed quando benigna voluntas
Sic patris æterni tulit, ut tua tempore tali
Oppeteret coniunx, an consolatio quæso
Non aliqua hinc surgit, quod sectabatur in isto
Iam tum flore piam vitam? quam sæpè videmus
In feram multos homines differre senectam.

Ipsa sed ô quantum DOROTHEAE clausula vitæ
Solatiû expediet tibi Clementissime Princeps?
Quod mihi nunc paucis sit fas attingere versu.

Postquam igitur pulcra coniunx te prole parentem
Fecerat, HEDVIGINDOROTHEAM in lumina solvens,
Ecce repentino, Lucinæ fracta labore,
Corripitur morbo, qui deindè acquirit eundo
Vires, & toto prosternit corpore membra.
Quid faciat? reduces sibi vires spondeat ægra?
Præparet an letho? timor hoc, spes arguit illud.
Sed tamen expendens, humanæ linea vitæ
Incertis erret quod passibus, ipseq; nostra
Quod pater Omnipotens cum pulsat limina, jam nos
Instar morigeri deceat famuli esse paratos:
Accersi curat tractantem sacra ministrum,
Et confessa suam labem, solatia firma
Accipit, & sacro obsignatur pignore veræ
CHRISTE tuæ in cœna carnis veriq; cruoris.
Tum duplicem palmam tendens ad sydera Cœli,
Talia verba refert: meritas tibi pectore grates
Hoc superûm genitor persolvo; nunc tua porrò
De me decernat quæ vult clementia, quicquid
Hoc erit, usura seu lucis longius uti,
Seu cadere ante diem, nullo discrimine habebo.

ER

Est sanè est vita coniunx mihi suavior ipsa,
Est etiam dulcis Thalami, tibi gratia, fructus,
His ægrè avellor fateor, nam pectora quæso
Quæ non in propria m trahat indulgentia carnem?
Sed tamen ista tua si stat sententia mente,
Ultima me genitor nunc vitæ ad fata vocare,
Non invita sequar, carum cum infante maritum
Commendansq; tuæ curæ læta altra subibo.

Temporis intereà percurrens sæpius orbem
Itq; reditq; viam Phœbus, sed pallida sese
Tisiphone insinuat magis, incrementaq; morbus
Sumit, & æugurium triste intra pectora ducit.
Ipsa sed haud placida decumbens mente ducissa
Frangitur, at contra votis ardentior instat:

Atq; animam CHRISTO commendat & omnia: summa
CHRISTVS ei solus curæ est noctesq; diesq;
Hunc amat, hunc precibus desiderat omnibus unum,
Cogitat hunc unum vigilans, hunc somniat ipsum,
Hunc canit, hunc loquitur, cum CHRISTO deniq; tota est.
Hæcq; ita continuat, donec lux tertia mensis
Et decima aurora surgit rubicante Secundi;
Tunc animadvertens lethi certissima signa,
Solvitur in tales præsentis pectore voces:
Venit summa dies & ineluctabile fatum,
Vixi quod volui, volui quod fata dederunt,
Avocor hinc aliò, crux & fortuna valete,
Ludite nunc alios, mihi parta est gloria Cœli.
Sic dicens, animam medio in sermone relinquit,
Illaq; mox Cœlum superans pernicibus alis,
Optata fruitur nunc consuetudine Divum,
Et trahit æterno lætissima tempora cursu.

O placidus finis, dulciq; simillima somno
Claufula! da genitor simili cum advenerit hora,
Nos pietate mori, nîl nos terrentibus umbris,
Inq; tuos animam amplexus effundere ovantem.

Ecquid adhuc nimius vexat tuâ saucia Princeps

Corda

Corda dolor? certè D A V I D malè luget habentem
Infantem, at vita defuncto tristia ponit
Pectora, quod Cœli novit jam sede receptum.
Hæc etiam tibi spes pectus demulceat ægrum,
Hæc molem hæc æstum curarum temperet. Istud
Et poterat dicas tandem immutabile fatum
A Equo animo vinci, mea sed dulcissima coniunx,
Communem excedens fortem, fatiq; severam
Vim superans, primò mihi facta puerpera, vitam
Fundit, maternis partumq; ampelxibus orbem
Linqvit, & an maior crux hac existere possit?
Illa quidem verè: Sed tu mihi quæso vicissim
Iam perpende istud, num non illustrior illa
Martyrijq; adeò vice sit reputanda, labore
Lucinæ occumbens mors quam pia fæmina fortè
Oppetit, & vitam pariens pro laude reponit.
Vt cum pastores animæ quibus anxia cura
Incumbit, vita obsignant legemq; gregemq;
Qualiter aut patrios propugnans rite penates,
Miles in armatos furit imperterritus hostes,
Atq; cadens, famæ capit immortalis honorem.
Nam velut ipse thorus patris est pia sanctio summi,
Sic etiam Thalamo dependent pignora eodem.
Nec tam gemma nitens matronam exornat & aurum,
Quam soboles, adeò ut divinus apostolus ille
Non dubitet salvas parientes dicere, nempè
Si veræ fidei fuerint morumq; tenaces.
Ergo supervacuo abstineas mœrore, nec istam
Qua cinxere caput D O R O T H E A E fata coronam:
Invidias: cernis simili ut desudet arena
I A C O B V S patrum quo vix præstantior alter.
Et tamen ille D E O fidens, sua pectora rursus
Restaurat: tanti quoq; te decet esse sequacem
Exemplo Herois: viduo prospexit ut olim
Ifacidæ Dominus, tenerumq; eduxit in auras
B E N I A M V M, sic te sic natam proteget idem.

Tu

Tu modò ab illius depende numine toto
Pectore, quodq; facis, sinceri semina verbi
Provehe, & optato succedent cuncta tenore.

Deniq; quid causæ est tantum indulgere querelis?
Cum lux illa fiet lætis reditura quadrigis
Auroræ quondam, tua qua rediviva sub auras
Prodeat, & vultus coniunx ostendat avitos.
Transitus est etenim mors non extinctio vitæ,
Nec qui privantur vita hos amittimus, ipsa
Æstimat ut ratio divinarum inscia rerum:
Sed tantum ad tempus Cœlo præmittimus, ipsi
Nostra secuturi cum fata implêrimus, illicq;
Ora revisuri nostrorum, & dulcia verba
Misturi, & placidam capturi in secula vitam.
Ad quam nos omnes tranquilla morte solutos,
Ille suo genitor qui numine cuncta gubernat,
Promoveat, regnisq; iterum dignetur avitis.



99 A 6908

ULB Halle
002 927 25X

3



Handwritten initials

Retros

VD 17



psalms salutaris. e
t omnia meritis. et
etiam norma doc
ne. con. iudic. est
em. quia superior
venit a inferiorem.
ut inferior adu. re
tur. et ad uerit ad
elizabeth: et sic ad
hanc. et omnes etia
p. ut sanctifica
ret baptis. iohis.
Dns uenit ad bap
tistam.

Antiphona
an. cum mare a fe
at michi magna gra
potens est et sanc

ms al
lelu
cordia eius
gemies tunc h
Sunt salutari
rie elizabeth.
tant infans
repleta e. h
vide distinctio
guloz. uerboz
des. vocem pri
beth. auduit.
nes prior. gra
illa ualde ordi
dunt. iste exul
coe uulery. ill
iste dei sentit a
ficia mulier.



~~31~~ 32

Epicedion IN OBITVM IL^l

LVSTRISSIMAE PRINCIPIS AC
DOMINAE, D: DOROTHEAE, LAVDATIS-
simi illius Saxoniae Ducis, & S. Rom. Imperij Electoris
AVGVSTI, &c. beatæ recordationis, filia: Reveren-
dissimi & Illustrissimi Principis ac Domini D: HENRICI
IVLII, Episcopi Halberstadensis, Ducis Brunsvvicensis
& Lunæburg. &c. dulcissimæ quondam conjugis: quæ cum
3. Februarij anni 1587. filiolarum DOROTHEAM HEDVI-
GIN, primùm genitrix, in lucem edidisset, postmodum le-
thali correpta morbo, 13. eiusdem, ex hac miseriarum
valle, cum maximo omnium piorum desi-
derio, in cœlestem patriam feli-
citer emigravit.

Autore

M. IOHANNES STRVBIO,
verbi divini ministro.



Anno salutis. MDLXXXVII.

xxviii

